DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA

De

CONTRACTIBUS PRINCIPUM,

Quam

Principum principe duce & auſpice Illuſtris Collegii juridici indultu, in celeberrimo ad Salam Athenæo.

SUB ARBITRIO

DN. JOHANNIS STRAUCHII, JCti,

Sereniſſimi, Celſiſſimique Principis BERNHARDI, Ducis Saxonici, Juliaci, Cliviæ & Montium &c. Conſiliarii intimi, Conſiſtorii Ducalis utriusque Cancellarii & Præſidis eminentiſſimi, P. P. undiquaque celeberrimi, Facultatis Juridicæ Senioris Spectatiſſimi, ut & Curiæ Provincialis & Scabinatus Aſſeſſoris primarii, graviſſimi,

Patroni, Promotoris ac Doctoris ſui æterna pietate ſancte devenerandi

PRO LICENTIA

Summos in utroque Jure honores, Inſignia & Privilegia Doctoralia ritè obtinendi,

Solenni eruditorum disquiſitioni ſiſtit

PETRUS Homfeld/Reideriâ Friſ. Orient.

JENÆ, Typis JOHANNIS NISI, M.DC.LXXIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Sereniſſimo, Celſiſſimoque Principi ac Domino,

DOMINO

CHRISTIANO EBERHARDO,

PRINCIPI FRISIÆ ORIENTALIS,

DOMINO in Eſens/Stedesdorff & Witmund/ ꝛc.

Ad æternitatem nominis, & Gloriam Domus Oſtfriſicæ nato

SYNCERÆ RELIGIONIS ET JUSTITIÆ ASSERTORI

PRINCIPI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Uberrima divinæ clementiæ incrementa

Proſperos à Deo ſupra vota ſucceſſus.

Cœleſtem, teneræ ætatis inſtitutionem ac educationem, benedictionem largiſſimam

&

Quæcunque Principis vota ſunt.

Ex intimis animi Fibris, adprecatur.

ac ſimul

Exercitium hoc Solenne in debitæ gratitudinis & humillimi obſequii Symbolum, ut & ſe, ſuaque devotiſſima mente,

offert, dedicat, commendat

PETRUS HOMFELDT.

SERENISSIME PRINCEPS,
DNE CLEMENTISSIME,

CUr a Sereniſſimo *tuo nomine*, DneClementisſime, *auctoritatem quandam diſſertationi meæ inaugurali fænerari voluerim, cauſæ mihi altius inquirendæ non videntur. Sicut enim a ſole communi rerum ſtatore omni*[illegible]*aria & lucem & fæcunditatem mutuo ſumunt: ita a te,* [illegible] *patriæ* eminentiſſime, *quicquid eſt ſalutis & proſperitatis in Friſia Orientali, omnes accipimus abundantisſime. A Nili fluxu Ægyptii omnem terræ futuræque æſtatis fertilitatem conjiciebant, & a tua benignisſima indole ſubditi omnes ſuam, qua fruuntur, tranquillitatem derivant; inprimis vero ſi tenuisſimam parentis mei conditionem reſpicio, tot tantaque incomparabilis Clementiæ axiomata tum a* Sereniſſimo parente tuo, *glorioſiſſimæ memoriæ, tum a tua quoq;* ſereniſſima celſitudine *extant, ut immemor tum mei, tum cujuslibet religionis eſſem, niſi quotidie pro tua incolumitate, ex qua mea etiam omnino pendet, Deum ter opt. terq; maximum venerarer. Accipe interim*, ſerenisſime princeps, *diſſertationem hanc devotisſimi*

pectoris

pectoris argumentum, vel hoc nomine rejiciendum, quod longe impares ſint materiæ huic animi mei vires. At vero magnis quoque mentibus hoc ſolenne eſſe confido, ut humiles quoque res, quas terra protrudit, obſervent, & non ſemper aſtra metiantur; ad exemplum oculi noſtri, qui ad exigua quoque animum convertit. Uti igitur radios ſuos ſol quanquam celſiſſimus ſit, non in baſilicas magis, quam in mapalia conjicit: ita & in ſpem ego haud obſcure erigor, ſereniſſ. celſitudini tuæ *diſplicere non poſſe teſſeram hanc ſummæ obſervantiæ, quam in parvo munere, maximam exoptat civis tuus ſubjectiſſimus. Unum hoc precibus efflagito humillimis, velit* ſereniſſ. tua celſitudo *meam quoq; parvitatem ea clementia, qua parens meus hactenus totus incaluit, illu[illegible], & ex umbra in lucem protrahere. Quod ſi mihi (quem[illegible]um hoc unicum eſt voti faſtigium) inter officiorum tuorum adminiſtratores, virtutumque tuarum divinarum admiratores noviſſimum concesſeris locum, hanc mihi perpetuo conditam legem judicabo, ut ſtudia mea qualiacunque in præconium tuum, tuæque reipublicæ incrementum ſeſe tota effundere poſſint. Vive interim* ſereniſſime princeps, *omni laude & invidia ſuperior, vive paternarum avitarumque virtutum hæres* illuſtriſſime, *vive & in ſeculi decus, in ſtudiorum auctoritatem, inque ſubditorum omnium incrementum adoleſce conſummatiſſimum. Quo in voto deſinit*

Datum Jenæ
d. 25. Oct.
Anno ſalutis
1673.

Sereniſſ. Celſitudinis tuæ

devotiſſimus cliens

PETRUS HOMPELDT.

JESU JUVA.

COnfecto nuper primo examine, habitaque lectione, quam vocant, curſoriâ, ex decreto illuſtris Jctorum ordinis, qui Salanam noſtram nobilitat, nactus Licentiam edendi DISSERTATIONEM QVANDAM SOLENNEM, diu multumque deliberavi, in quo præcipuè argumento vires tentarem, & quid dignum atticis auribus proponerem. Conſtat enim communi rerũ magiſtra experientia docente, quædam popularia, multorumque labore excuſſa, tantum non ad faſtidium usque recoqui, quædam vero ab aliis non tam fructuosé, quam ſubtiliter & ſpinosè deduci, ut ad oſtentandã ingenii aciem ſibi tantum canere plurimi malint, quam egregio publico ſtudere. Sed vero volupe mihi fuit, remiſſo pauliſper jure civili ad aliud tempus & exercitium, ſi Deus non abnuerit, in præſentiarum CONTRACTUS PRINCIPUM paucis evolvere; tum quod inſignem materiæ hujus nobilitatem animadvertam, tum quod ignorem an a quoquam hactenus methodo convenienti hunc quidem in modum pertractati ſint, quantumvis valdè quotidiani: Fateor equidem ingenuè ac lubens, materiæ hujus gravitatem, difficultatemque ingenium meum hoc ſcribendi genere minus exercitatum deterrere potuiſſe, accedit & his metus, nonnullos has theſes reprehenſione dignas judicaturos; quod difficilis ſit digeſtio-

nis, & res periculi plena ſcribere de iis, qui proſcribere poſſunt, verbis in factum temperatis, neque crimen ſacrilegii incurſurum, ex haud probè intellecta *l. 3. c. de crim. ſacril.* quaſi poteſtatem principis in dubium vocare, ejusque deciſa ac conſtitutiones carpere tentem: aſt non ſane mea hæc intentio; neque animus mihi de omnibus principum negotiis, ex nimia licentioſa audacia contemtuque, de legibus latis, caſibus deciſis & factis majeſtaticis, detrahendo, reprehendendo diſputare, neque juſta injuſtane ſint? quicquam proponam; ſed quid in theſi ex jure naturæ decidi poterit, contractus quatenus juri ſint conformes, jusque tertii lædere non debeant, & cætera, quæ de hac materia, notatione digna reperientur, paucis ordine nunc examinatum eo; idque ut in offenſo pede peragere poſſim, communi gentium pietate admonitus, Deum ter optimum terque maximum veneror, ut inſtituto meo haud inhoneſto, ſua gratia aſpirare, & ſpiritus ſui ſancti benevolentia adſiſtere velit. Divino numine exorato pono

Caput I.

Exhibens terminorum explanationem.

Familiare quidem eſt omnibus diſceptationem quandam propoſituris, prolixo verborum luxu, dicam, an apparatu grammaticorum ſcrinia compilare, & non tam ex claſſica veterum memoria, quam adeo non culpo, quam lexicographorum lacunis varias vocum acceptiones accumulare, ut ambitioſius longè, quam par eſt, etymologiam exponant, & tum lectorem vana ſpe, tum paginas inutili & ſuperſtitioſa literarum amphibolia com-

compleant: † at de re ipſa ſollicitus verborum originatio- 2.
nes & multi-varias acceptiones ad dictionaria, quæ vocant, remitto, contentus ſatis, ſi qua nam in ſignificatione a me accipiatur vocabulum, diſerte affirmaverim, neque enim ulli cuipiam litem movebo, ſi tum ex logicorum, tum ex criticorum regulis aliter vocem accipi poſſe, aſſeruerit; imprimis ſi argumenti dignitas vulgaritate ſua facile æquivocationem ſuam aut exuat aut declaret. † Pari igitur modo & 3.
quid princeps quidve contractus ſit ratione originationis ſuæ ſicut neminem facile latere poſſe judico, ita quoque ad rem ipſam potius definiendam progrediar, remiſſo lectore etymologiæ cupido ad lexica tum Philologica, tum juridica, ubique nota. † Illud interim haud negligendum videtur: quod vox 4.
ſynallagma, contractum Græcis denotans, plurimorum cenſuræ ſuccumbat, & miſerè a variis dilaceretur. † Certum tamen 5.
eſt, vi vocis contractum denotare obligationem reciprocam, ab utroque latere obligatoriam, adeoque in ea ſignificatione haud malè contractum à Labeone *in l. 19. D. de verb. ſign.* definiri per obligationem ultro citroque factam, h. e. mutuam, ſeu reciprocam; vox hæc ea ratione ſumitur ſtricte pro contractu preſſe ſic dicto; An autem Ariſtoteles συναλλακτικὴν, quam latine commutativam ſeu communialem vertas, in ea ſignificatione adhibuerit, inter interpretes ejus nondum convenit: ſi vim facere velit voci ipſi Grotius *lib. 1. c. 1. num. 8.* excuſari pauliſper poteſt, quod Ariſt. perſtrinxerit, quanquam negari nec illud poſſit, Ariſt. ſalvam fuiſſe ſententiam, dum latius voce συναλλαγματος uſus, quemlibet contractum, tum voluntarium, qui utrinque talis eſt, tum invitum, qui altera parte, injuriam ſc. ferente, invita fit, uno ſub ambitu comprehendit; quæ vera ipſius quoque videtur mens, dum illud verbum *5. eth. 5.* ad omnes omnino contractus tam invitos quam ſpontaneos extendat. † Dolendum vero eſt, hoc 6.
eſſe ſeculi noſtri Cacoëthes, ut in acceptione vocis tam rigide alter alteri contradicamus, & hoc modo, non alio ſæpius vocis uſum tolerare velimus, quemadmodum illud patet ex ſolenni iſta diſputatione, de jure naturæ brutis communi,

quod tamen negari, aut vix aut neutiquam poteſt, ſi jus naturæ pro directione naturali inſita omnibus animalibus ex provida Dei manu ad ſui ſuſtentationem & conſervationem

7. accipiatur. † ſatis autem mihi eſto contractum ex uſu in ſcholis juridicis recepto late ſumi & poſſe, & ſolere, pro qualibet obligatione, pacto & conventione, ſive civile negotium pariat, ſive minus, ut & contractus veros & quaſi, tam quæ ex delictis, quam quæ ex quaſi delictis dicuntur naſci, & ſi quid

8. aliud iis ſimile, ſuo ambitu complectatur *l. 52. D. de re jud* † errant omnes, ii, qui mutúum alioſque contractus unilaterales vigore labeonis definitionis veros negent contractus, contra mentem Imp. expreſſam, qui mutuum, ſtipulationem, inter veros numerat contractus in ipſis inſtitutionibus & aliis innumeris textibus; quæ omnia, attenta probe vocis ambiguitate, plana evadunt; & ex juris civilis doctoribus peti poſſunt, quæ latius proſequi, non eſt præſentis inſtituti, neque anguſtia pagellarum intra quam me coarctavi, id admittit, de iis in diſcurſu, ſiquidem opus fuerit, pluribus agetur.

9. Quod autem alteram vocem PRINCEPS attinet, communiter notat iſta id, quod caput præcipuumque eſt in aliquo negotio, diſciplina aliaque quacunq; re, teſtante hoc ſolenniſſimo vocabuli uſu; quo ſenſu traditur etymologia vulgaris, quod princeps ſit quaſi primiceps, h. eſt primum caput; præ aliis autem eſt popularis acceptio principis, cum ſumitur pro eo, qui in civitate, quoad authoritatem, poteſtatem, aliaque regalia, primas partes obtinet, cui quadrat germ. Fúrſt oder Fórſte/ quaſi der foderſte/ h. e. primus, quo unâ inclinare videtur compilator deß Schwabenſpiegels *l. 2. c. 151. §. 6.* der Fúrſt heiſt davon ein Fúrſt/ daß ihm der Kónig das Fúrſtenampt leihet mit ſeiner Hand; und leihet der Kónig einem/ und leihet es der fúrbaß einem andern/der mag nicht Fúrſt davon heiſſen: das iſt davon daß

10. er der fórderſt an dem Reich nicht iſt: † Alii tamen commodius, ſicut ducem derivant a ducendo, quod præeundo alios militės ducat in campum, quemadmodum Herzog dicitur, daß er vor dem Heer herziehe h. eſt exercitum ducat; ita & vocem Fúrſt deſcendere putant á fúren/ quod & ipſe ducat exercitum

tum, quanquam voces Hertzog & Fürſt hodie certis ex cauſis ſoleant diſtingui, neque promiſcue in ſtylo curiæ uſurpentur. † De militibus ſecundæ aciei, quod iſti apud Romanos 11.
propter ſuam præſtantiam & prærogativam, quam præ militibus primæ aciei, manipulis haſtatorum dictis habebant, principes dicti ſint, videri poteſt *Liv. l. 8.* uti & illud in Romanorum annalibus cuilibet conſtare poteſt, Rectores romanorum fuiſſe dictos principes in fatale odium abrogatorum Regum. † Quomodo itidem Reges ſeptentrionales olim non 12.
tam gubernandæ Reip. quam exercitibus ducendis intenti fuerint, adeoque nomen principis tantum diutiſſimè geſſerint, oſtendunt Schefferus & Loccenius in hiſtoria Sueo-Goth. idem de Hungaris teſtatur Comes de Nadaſti in Mauſolæo Hungarico nuper, ſed parricidali & ſacrilega ſua manu exſtructo. † In Politicorum ſcholis quid princeps notet, 13.
definitu difficile eſt, eo quod uſus hujus vocis multivarius apud omnes ferè gentes ſit. Unde diverſitas eſt inter magnum ducem Ruſſiæ, qui Cæſar ſeu corrupte Zaer mavult ſalutari, ducem Hetruriæ, Livoniæ, ducem venetorum Batavorumque, aliarumque rerump. de quibus omnibus ut ex inſtituto diſſeram, nec tempus nec intentio patitur: Videri poſſunt Limnæus, Sprengerus, aliique doctrinæ hujus civilis Doctores imprimis Oldenb. *L. 2. c. 13, 14. Limn. encycl.* † quan- 14.
ta autem principum Germaniæ noſtræ ſit dignitas, authoritas & poteſtas, tum in ſecularibus tum in eccleſiaſticis, tum inter ſe, tum in ordine ad imperatorem, & imperium, mei non eſt jam definire, tum quod res ſit ſanctioris indaginis, tum quod ab inſtituto præſenti paululum abludat. † Sufficiat 15.
mihi illud indigitaſſe, quid heic loci per principem intellectum velim, non illam perſonam, quæ poteſtatem ſuam ſeu a popolo ſeu a ſuperiore quodam ſibi communicatam, adeoque tum certis legibus, tum conſuetudine quadam habet imminutam, ſed illam imprimis perſonam, quæ abſolutè ſummam poreſtatem ubique in rep. circa omnia reip. ſaluti neceſſaria, adeo ut nemini præter ſolum Deum ſit obnoxius, neminemque cognoſcat ſuperiorem; ſive talem principem alii

Monarcham, alii Imperatorem, alii regem, alii protectorem, ſive alio quocunque nomine inſigniant.

Caput II.

De obligatione principis generali.

1. QUanquam modi acquirendi & habendi principatum ſint apud varios populos varii, ita ut vel per ſortem, vel per electionem, vel ſucceſſionem, vel pacta confraternitatis, vel propter robur & pulchritudinem corporis conſtituti fuerint
2. imperantes. † Apud omnes tamen illud certum manſit, collatam principi majeſtatem hujus fuiſſe ordinis & naturæ, ut nec ſuperiorem, nec potiorem in eadem rep. agnoſcere potuerit: dum enim majeſtas dicatur ex communi politicorum ſententia, ſumma in civitate poteſtas circa omnia neceſſaria, ſine evidenti contradictione duplex majeſtas, quarum aut alterutra eſt ſuperior, aut utraque eſt æqualis, fingi poteſt; quia quod ſummum eſt, eo ipſo, quod dicitur ſummum, ſuperius non agnoſcit, neque etiam ſe ita communicare poteſt alteri, aut dividi cum altero tanquam æquali, ut maneat ſum-
3. mum; † Adeoque iſti, qui duplicem quandam unius civilis ſocietatis majeſtatem ſomniant, alteram realem, quæ penes corpus imperii aut ſubditos ſit, alteram perſonalem, quæ principi debeatur, una manu tollunt, quod altera largiuntur; niſi fortè dicere velint, majeſtatem alteram, quæ realis appellatur, eſſe impropriè dictam, hoc eſt, non eſſe majeſtatem, pari modo ut de prato riſus, & de capite ſilicernii nives dicuntur *impropriè.* videri poteſt magnif. atque excellentiſſimus Dnus. Joh. Heinricus Stamlerus aulæ friſicæ conſiliarius intimus, patronus atque promotor meus colendiſſimus in ſuo tractatu de reſervatis Imperat. Romano Germ. *§. 25 p. 96. & ſeqq.* ubi cum acute non minus quam venuſte diſputat contra B. Limnæum, exactiſſime oſtendit, unicam in Re-

publ,

publ. tantum eſſe majeſtatem, quæ in ſubtiliter admodum ita diſtinguitur in realem & perſonalem. Atque fruſtra adverſus hoc Dn. Limnæus *T. 5. in app. add. ad lib. 1. cap. 10.* excipere intentat, *in imperio vel unam vel plures eſſe poſſe majeſtates ſimul; unam ſolam, quæ realis & perpetua, tunc exiſtat, quando imperium vacat, & caret ſummo capite; plures autem tunc vigere, quando illud habet imperatorem, vel Regem Romanorum, vel utrumque.* Nam ſi hic dicendum quod res eſt, non minor contradictio videtur eſſe, duplicem ſimul fingere in eadem rep. majeſtatem, quod utraque præter Dei immortalis poteſtatem ſuperiorem non agnoſcat, ut ipſimet fatentur, quam ſi hominem dixeris alium eſſe rationalem, alium irrationalem. Quare ſimul non poteſt majeſtas realis imperii & majeſtas perſonalis imperatoris, niſi majeſtatem realem pro ea, quæ eſt improprie dicta, ut ſupra, accipere velint. Confer omnino Laudatum Dnum. Stamlerum *l. dicto*, cujus verba a Limnæo recitantur *d. l. p. 281.* & videbis facile, quam frigide Limn. *p. 282* ad illa reſpondeat. † Atque hoc adeo verum eſſe arbitror, ut 4.
dictatoribus romanorum & Græcorum Æſymnetis, veram majeſtatem merito adjudicem, licet illa ſumma poteſtas & auctoritas, quam gerebant, ad certum temporis ſpatium definita eſſet: nam cum abſolutiſſimum ipſorum imperium extenderet ſe ad omnia Reip. conſervandæ & amplificandæ neceſſaria, certum tempus tanquam extrinſecum accidens, intimam & ſummam poteſtatis conſtitutionem lædere non poterat; ſane non minus homo eſt, qui horam vixit, quam qui ſeculum implevit; ipſa natura rei a priori conſiderata, quum in majeſtate eſt ſummitas poteſtatis, nemini ſubjecta, atque hæc cum invenitur in dictatore, majeſtas palam agnoſcitur.
† In hac enim latet indoles ſummi imperii, ne actus civiles alterius ſubſint arbitrio, quo damnari atque irriti poſſint fieri, 5.
qua de re polit. paſſim. † Ex eo igitur, quod oſtenſum eſt, majeſtatem eſſe ſummam & abſolutam in civitate poteſtatem ſponte ſua fluit, principem talem majeſtatem habentem a nemine hominum obligari poſſe in rebus ad civitatem ſuam pertinentibus. Nam dum poteſtas principis ab omnibus cor-

datio-

datioribus politicis aſſeritur eſſe à ſolo Deo, qui interprete ſcriptura ſacra, det, adimatque regna, pro ut velit, abſonum foret, eam humanæ libidini amputandam & reſtringendam exponere, cum nefas ſit profana manu attrectare ea, quæ divino oleo tincta ſunt: † Uſus quidem & obſervantia quoti-
7. diana exhibet nobis creberrimè circumſcriptam regiminis formam multis principibus collatam, quando ſcil. certis conditionibus in ſolium admittitur regnaturus, & per determinata pacta ac juramenta civibus promittit, ad quæ ex officio, aut jure alio non ſubinde teneretur obſtrictus. Quamobrem prolixè politicorum nonnulli occupantur, ut ex hiſtoriarum ſerie demonſtrent, Galliam lege Salica, Sueciam conſtitutionibus fundamentalibus, aliaq; regna plurima certis limitatio-
8. nibus & capitulationibus reſtricta eſſe. † Verum enim vero commodè dici poteſt, quod reſtringatur poteſtas dicto modo non ſimpliciter, quoad actum primum, quaſi extinguatur in ſe ſummum imperium quoad aliquod jus, ſed ſecundum qnid, quoad actum ſecundum, quatenus nempe poteſtas iſta competens exercitii ſuſpenſionem & omiſſionem patitur, ut tranſire non poſſit in operando. Quod ſi in actu primo ipſum ſummum jus limitatur & reſtringitur, tollitur natura majeſtatis, quæ ſemper ſumma, illimitata & indiviſibilis eſt: neque poteſt ullo pacto tolli, quod majeſtati eſſentiale ac perpetu-
9. um eſt. † Nec populus igitur ulla ratione imminuit ſuis conventis poteſtatem, nec ipſe princeps eam deſtruere poteſt; pariter ac homo, qui alteri promittit, ſe non locuturum certo tempore, non in ſe exſtinguit potentiam loquendi, quamvis actum ſecundum ſeu exercitium iſtius potentiæ coerceat. †
10. Ex eo, quod citra operam humanam majeſtatis natura principi à Deo tribuitur, oppido licet colligere, eam humano arbitrio & reſtrictioni non ſuccumbere. Quanquam illud hominibus denegandum non ſit, reſtringere & inpedire aliquando certis conventis exercitium & actualem majeſtatis
11. ſeu abſoluti imperii uſurpationem. † Certum itaque eſt, non exſtingui ipſum majeſtatis jus, quod a ſolo Deo eſt, exercitium tamen actuale jurium majeſtatis certis hominum can-
cellis

cellis circumſcribi poſſe. † Quod ſi princeps regimine certis ſtatutis moderato uti velit, ſeſeque ex more candidatorum imperii obliget, quod ultra conſueta onera ſubditos non onerare, nec bella ſine optimatum conſenſu funeſta gerere velit, inde minime ſequitur, ipſam majeſtatis ſeu ſummæ poteſtatis eſſentiam impediri, ſed tantum ex placito ipſius principis exercitium juris limitari: † Quod ſi enim neceſſitas ingruat, quæ pacti illius rationem haberi non poſſe doceat, niſi cum jactura reip. præſentiſſima, non incongruum cenſebitur frangere potius pacta, & laboranti reip. conſulere, quam immaturis ſubditorum limitibus & conventionibus olim nimis generaliter factis morem gerere cum pernicie ipſius reip. cui conſervandæ conventiones iſtæ conſtitutæ fuerant: juravit imperaturus ad certas conditiones, ſed ſua ſponte, non imperio ſuperioris adactus † Conſentiunt eligentium & eligendi voluntates, non imperant invicem & parent; ſed quamdiu princeps majeſtatem habet, nemini eſt ſubjectus, utut conventis modum adminiſtrandi certum & definitum fecerit. † Pactorum interim formula, quamvis ex uſu jam inoleſcente lex fundamentalis dicatur, proprie tamen legis vocem tueri non poteſt, quia illæ tantum ſunt vere leges, quæ a ſuperiori majeſtatem habente dantur; jam vero cum populus ſtipulans, ſuperior non ſit ipſo principe neque civili imperio gaudeat, leges iſtæ fundamentales principi tanquam exemplar futuri regiminis præſcriptæ, rectius conditiones dicuntur quæ pacti & promiſſi indolem præ ſe ferunt. Ideo in capitulatione cæſarea, quam vocant hodie, accurate ponuntur illa; Regem Romanorum conſenſiſſe in appoſitas conditiones, ad modum pacti. † Tenetur itaque imperans ex promiſſione non ex ſuperioris præcepto, niſi cum monarchomachis principem & ipſius Dei majeſtatem nefariè calcare velimus; ſed dum hæc affero, nolo me iſti controverſiæ immiſcere, an & quatenus habeat Imperator noſter in imperio Romano Germanico majeſtatem. Novi enim tum a negotio præſenti tum ob negotii gravitatem vix impetrari poſſe, ut quid hic ſententiam certo definiam; interim illud ſaltem

12.
13.
14.
15.
16.

tem monuiſſe liceat, cauſæ nihil fuiſſe Oldenburgero, cur in *Limn. enucl. l. 1. c. 8. p. 74.* ex verbis Limnæi tam acerbe habeat ſæpius laudatum Magnif. Dnum. Stamlerum, putetque falſo Imperatorem noſtrum Auguſtiſſimum ab eo Dominum imperii vocari, cum adminiſtrator tantum ſit. Sane enim dum data opera imminuit Imperatoris majeſtatem, haud obſcure aſſerit, quod ſecundum ſpeciem & titulum tantum, non vero exercitium quoque & rem ipſam imperatori noſtro ſumma hæc nomina, die Dignität/Hoheit/ Regierung/ Titul/ Scepter und Kron des Römiſchen Käyſerthumbs/ prout legimus in receſſ. de Anno 1559. ibi: und uns mit der Würde ꝛc. collata eſſe; quod tamen fruſtra factum eſſe, quis aſſeret? cæterum vero licet abſolutam propterea imperatori majeſtatem contigiſſe nunquam dixerim, limitatam tamen certisque in capitulationibus recenſitis terminis reſtrictam eſſe, quoad modum adminiſtrandi in actu ſecundo lubentiſſime fateor, quibus tamen nihil detrahitur ſummitati ſed plenitudini, quibus verbis pondus affert meæ ſententiæ illuſtris ac Magnif. Dnus Præſes, aulæ Saxo Jenenſis Cancellarius eminentiſſimus, JCtus incomparabilis, promotor ac patronus meus ætatem pio devenerandus in exot. *diſſ. 4. p. m. 120.* ſed plura de hac materia in præſentiarum dicere nefas erit. † Loqui-
17. mur hactenus de limitato imperio, non de abſoluto, ubi princeps non tantum ſummus eſt, ſed & liberam directionem univerſæ civitatis pro lubitu ſolus habet. Utrique tamen imperio decantatiſſimum illud Dominium eminens, ut vocant, jure debetur, circa quod licet civilis prudentiæ magiſtri egregiè diſputent, & non minori cum fervore, quam Phyſici qualitates occultas exagitent, certum tamen mihi videtur, illud Dominium eminens aut parum aut nihil quicquam differre a ſumma majeſtate, quam princeps ordinarie in ſuos habet, & per quam jure meritoque poteſt id tum in capita tum in bona ſubditorum, quod honeſtati non repugnat, ſed ſaluti civitatis, ſive in caſu neceſſitatis extraordinario, ſive
18. alias in tranquillo reip. ſtatu, quoquo modo inſervit. † Uterque quidem princeps tam limitati quam abſoluti imperii juramen-

ramento, tanquam arctiſſimo religionis vinculo fidem ſuam ſubditis obligat, ſed diverſo longe modo & effectu. In abſoluto imperio dantur quædam generalia, quibus princeps juris atque æquitatis adminiſtrandæ utilitatisque promovendæ curam in ſe recipit. Sed in limitato imperio princeps ad aliquod civile ſeſe obſtringit, ad quod alias ex officio principum communi ſeu uſitato non teneretur, & hæc ſunt ea præcipue, quæ imperii rationem & formam regiminis, ſeu cujuscunque gubernationis determinant. † Ab illis igitur, quæ 19.
ſemel licet jurato placuerunt, princeps recedere haud poteſt aut debet, niſi iram læſi perjurio numinis extimeſcere velit; at vero an poſtquam pejeratum eſt a principe, ſubditorum quoque religio ſolvatur, ita ut illi a præſtito fidelitatis & obſequii homagio liberi contradicere principi poſſint, ob defectum ſervatæ fidei, non usque adeo aſſerendum videtur, obligatur enim ad parendum ſubditus, non quia juravit princeps, ſed quia imperium habet; ſi obſequii cauſa eſſet pactum, ſublato pacto utique tolleretur obſequium, quod tamen falſum eſt, quia obligatio immediatè ab imperio deſcendit. † 20.
Negari quidem non poteſt, principem hac lege ſolium adſcendiſſe, ut pacta ſemel inita perpetuo ſervare velit, ſed hæc omnia electionem tantum attinent, non ipſum imperium, quod princeps non a populo, ſed a Deo habet: quod ſi perjurium eſt cauſa amittendi principatus, aſſerendum ullum eſt jus, quo præſentiſſima hæc exautoratio conſtituta ſit; jam vero humanæ leges non de majeſtate diſponunt; nec dum populus eſt conſtitutus judex, qui de tali crimine & inito contractu cognoſcat, & ſententiam definitivam contra principem transgreſſorem ferat. † Imperium enim quia 21.
Deo acceptum fertur alio judice ac vindice non eripitur. Si imperii cauſa eſſet pactum, haud difficulter concederem, legibus fundamentalibus contineri contractum inter legem & ſubditos, a quo ſi alterutra pars frivole receſſerit, nec alteram obligari, & regem pacto aſtrictum, ſi minus illud ſervarit, deponi poſſe: jam vero ſatis conſtat in delatione regni principem nec a populo, nec a pacto imperium conſequi, adeoque

citra perduellionem & ſummam impietatem populum non poſſe involare in iſtam authoritatem, quam uncto Dei, ſolus
22. Deus tradit & eripit. † Confer exemplum Davidis, puram manum ab occiſione Saulis, quia unctus Domini erat, ſervantis *1. Sam. 24. 7.* in contractibus quidem lex fideicommiſſoria adjici poteſt, in regni autem delatione nunquam adjicietur. Proinde nusquam ferme in capitulationibus additam videbis clauſulam illam pænalem, qua princeps ſui depoſitionem approbat in caſu futuræ negationis eorum, quæ promiſerat; †
23. quamquam nec illud negligendum arbitror, principem ſponte nonnunquã à ſolio decedere, & ſubditis, qui propter fidem fractam læſos ſe eſſe putant, alium principem concedere poſ-
24. ſe; id quod ſæpius quoque factum legimus. † Denique & illud fieri poſſe ſalva majeſtate judico, ut princeps leges de rebus merè civilibus latas, ex quadam honeſtatis ratione & decentia ipſe obſervet; Civilis enim ratio ſuadet legem longe melius imprimi ſubditorum animis ſi ab ipſo principe ſerventur,
25. tanquam exemplo totius reip. † Ex iis igitur quæ dicta ſunt, licet ſatis conſtare arbitrer, principem in iis, quæ ad civilia ſpectant, nemine eſſe inferiorem, neque ſe ita obligare poſſe, ut majèſtas ſua proptèrea detrimentum ſentiat; negari tamen non poteſt principem obligatum eſſe iis legibus, quæ tum à Deo in eccleſiaſticis, tum à jure naturæ in naturalibus, tum denique à jure gentium in politicis præcipiantur: in ejus enim manu non eſt illa mutare, quæ æternam ſanctionem, aut populorum omnium ſalutem pro cauſa agnoſcunt, uti hominis rationem non exuere poteſt princeps, ita nec leges, quæ ho-
26. mini cuilibet inſcriptæ ac domeſticæ ſunt. † Jus naturale ita naturam intelligentem ſtringit, ut nullo modo vinculum obligationis a quoquam poſſit ſeparari, nam cum divina ſanctitas ſibi ipſi regulæ inſtar ſit, & aliis ſui imaginem imprimat, ſine negotio patet, non niſi deſtructa ſanctitate divina, jus naturæ non poſſe deſtrui; Huc igitur faciunt ſeptem Noachidarũ præcepta, quibus univerſaliſſimæ juris naturalis ſanctio-
27. nes a Seldeno includi dicuntur. † Idem de jure gentium patet, quod ſicut non dependet ab unius voluntate, ita nec a prin-

principe uno ſolvi poteſt; ex intima enim rerum publicarum natura proficiſcitur, nec ſolvitur, niſi deſtructa tota ſocietate civili. † Quare cenſendum eſt, nec juris naturalis, nec divini 28.
univerſalis, nec gentium decretis majeſtatem ſolutam eſſe. Quod ſi vero audeat, dictarum legum ſanctitatem temerare princeps, violatoris mandato non eſt obnoxius civis, nam obſequium ſubditi præſupponit imperium, quod tamen ad injuſta nunquam ſeſe extendit. Quoties igitur injuſta lex aliquid inhoneſti præcipit, nullum debetur obſequium, quia cauſa obligationis nulla ſubeſt. Legis enim tota vis in obligatione ponitur, & obligatiò ex imperio naſcitur, quæ cum ad inhoneſta, quæ ſupra principis arbitrium ſunt poſita, non pertingat, tuto concludimus, extra territorium jus dicenti, impune non pareri: Deo enim magis obediendum quam hominibus, unde licet ſubditus ad nulla inique patienda ſit obſtrictus, ita ut vix ſalva conſcientia principi quoque mortem ſibi intentanti reſiſtere, & Dominum ſuum tyrannice quamvis agentem occidere poſſit, nusquam tamen adigitur ſubditus ad agenda ea, quæ turpiter a principe præcipiuntur: Hic enim uti deſinit poteſtas ſuperioris, ita quoque ceſſat inferioris obſequium. Plura de iis, quæ ad præſens caput ſpectant, quisquis videri cupit, adeat nobiliſſimum iſtum tractatum, quem nunquam ſatis laudandus Dnus Stamlerus in libro ſæpius allegato de manu miſit.

Caput III.

De obligatione principis ſpeciali.

PErſpecta igitur majeſtatis civilis obligatione in genere, 1.
conſequens eſt ut paucis videamus modum iſtius conventionis, qua princeps aut cum extraneis, aut cum ſubditis tenetur. † Teneri autem principem ex fide data vel ex eo 2.
conſpicuum eſt, quod ſacra ſemper veritatis atque fidei ratio

ſit habita, neque ulli hominum ſatis cautum ſit privilegio ac immunitate quadam ab illo, quod ipſa honeſtate magiſtra rationos omnes docet. Jam vero fidem fallere, eſt omni juſtitiæ animam detrahere, Reſp. deſtruere, & cuilibet vitiorum
3. generi bipatentes portas aperire.† Ecquis igitur principi tantam ſcelerum colluviem haud indecoram eſſe affirmabit, ut impune eum juris naturalis auctoritatem violare, & a fide ſemel data temere diſcedere poſſe, evidens fiat? Certe ſicut nulla eſt periculoſior lues, docente Lipſio, quam quæ ex capite in membra inferiora derivatur: Ita nullum vitium illuſtrius peſtilentiusque eſt, quam quod a principe flexilis in obſequium populus addiſcit; quod ſi princeps juſtitiam fidemque conculcaverit, ſubditi cæca quadam obedientia ejus veſtigia, velut heliotropia, comitabuntur; homines enim ad alta imprimis flectunt oculos, & inde ſibi exempla ſuis ſumunt moribus. Suavis populo videtur lex illa, cui ſummus princeps ipſe obedit, & ſane principi nihil melius, nihilque dignius, quam eas leges, quas ipſe tulerit, factis & vita comprobare; id enim ad cultum & obedientiam valet plurimum: contra vero nihil & ad principis & ad legum contemtum perniociosius, quam quod edixerit ac decreverit ſine juſta cauſa perrumpere ac labefactare; ut Senator ille apud Liv. levius
4. eſt & vanius ſua decreta, quam aliorum tollere. † Non obligat principem vis legis præciſe, ſed ratio, cui innititur, quando iſta naturalis eſt, & communis omnibus, non peculiaris ſubditis, ad bonam eorundem gubernationem: quia in tali caſu legum cuſtodia ad has ſolas pertinet; quanquam ſi res permiſerit, valdè conveniat, etiam principem iis ſeſe conformem gerere, ut aliis tanto ſint ſuaviores. † Sed quicquid de
5. hiſce legibus poſitivis & arbitrariis ſit, de naturalibus certum eſt eas æque principis ac populi conſcientiam obligare, neque a quoquam frangi poſſe, citra alterius detrimentum, a quo communi natura admoniti, puras manus ſervemus, neceſſe
6. eſt. † Certe tanta eſt contractuum juſtitia, ut ipſe Deus nunquam velit aut poſſit diſcedere ab iis, quæ ex libero voluntatis decreto creaturis intelligentibus promiſit; Conſtituit e-

nim

enim Deus cum hominibus quaſi pactum quoddam, quo illis infinita fermè bona beneficentiſſimè commiſit, hac tamen lege ut bene illis, tum ad ſuam maxime gloriam, tum ad propriam ſuſtentationem, & proximi indigentiam ſublevandam utantur, quemadmodum hoc prolixius docent Theologi. Jam vero ſicut neceſſe eſt, ut Deus quotiens homo imperata obedienter facere detrectat, & in devia quævis prolabitur, ſcelera ulciſcatur, nec impunita dimittat, ita quamdiu homo a legibus ſibi latis non deflexit, poteſtatem non habet Deus ullum malorum genus ipſi innocenti infligendi. Quod ſi igitur hoc modo Deus pactorum ſanctitatem obſervat, (quanquam non tam per juſtitiam ſtricte dictam, quam per veritatem Deus dicatur hominibus obligari) multo magis principi id ipſum, ut ſedulo imitetur, convenire cenſemus. †
Datur quidem inæqualitas quædam in hiſce contractibus, ubi 7.
ſuperior cum inferiori contrahit: Verum hic non tam extrema, quæ ſunt perſonæ inæquales, quam unio ſcil. fides data inter illa extrema eſt reſpicienda. Sicut enim unio in phyſicis res admodum inæquales, animam ſcil. corpus ita conjungit, ut altera pars eſſentialis ab altera in ordine ad vitam dependeat: ita & juſtitia ſynallactica, quæ per contractus unius ſuperiorem cum inferiori, facit, ut alter ab altero quoad iſtam juſtitiam, quæ utrumque conjungit, dependeat. Si qua fuerit intra contrahentes inæqualitas, illa, quia ad exiſtimationem & dignitatem potius civilem, quam moralem ſpectat, extra juſtitiam commutativam conſideratur, & ſe merè per accidens habet ad æquitatem & veritatem juſtitiariam, quæ ab omnibus peræque poſtulatur: nam, ut eleganter non minus quam nervoſe inquit Grotius *l. 2. c. 12. §. 8.* in contractibus natura æqualitatem imperat, & ita quidem, ut ex inæqualitate jus oriatur minus habenti. † Quanquam de hoc non 8.
tanta ſit Moraliſtas inter diſceptatio, potiorem curam habent modi iſtius, per quem princeps obligatur; utrum ſcil. naturaliter, an vero civiliter obligètur: quidam aſſerunt principem non tantum naturaliter, (quod genus loquendi per obſcurum vocat Grotius) ſed civiliter obligari, qui ipſe Grotius

in

in hanc ſententiam inclinare videtur *l. 1. c. 14. §. 6. & 7.* quod ſi vocem naturaliter intelligunt in ſenſu juridico pro obligatione minus efficaci ad agendum, neque executionem pariente, ſed ſaltem exceptionem vel nullam, prout vel plena, vel minus plena, quæ infirma eſt, propter perſonæ contrahentis vel qualitatem, vel vitium, ut pupilli defectum ætatis patientis, prodigi bonis moribus deſtituti, furioſi, ſervi, aliarumque perſonarum, quæ naturaliter, id eſt, infirmiter dicuntur obligatæ, quominus aliquid ab iis peti vel exigi poſſit; Sané eo ſenſu nunquam princeps dici poteſt naturaliter obligatus, quia obligatio cum ex fide data, uti ſupra oſtenſum, oriatur æque principem ac alium infimæ conditionis hominem firmiter tenet, quamvis rigidè ut debitum ab eo extorqueatur, authoritas & poteſtas ipſius publica vix ſuadere videtur; decipiuntur & errant igitur ex eo omnes juris pontifici interpretes, qui exiſtimant naturaliter eum teneri tantum, propterea, quod firmis obligatio ſit juris civilis propria.

9. † Quod ſi vero per vocem naturaliter intellexerint æquitatem naturalem, princeps dici poteſt naturaliter obligatus, quatenus naturali jure prohibetur ab inferenda cuipiam innocenti injuria, nemini ſuum eripiendum, ſed ſuum cuique tribuendum. Prout idem curia Pariſienſis olim Carolo 9. Regi diſerte demonſtravit, cum a conventis cum collegio Pontificum initis eum licite decedere poſſe ſine curiæ conſenſu aſſereret, hac ratione ſuum cuique a quolibet eſſe tribuendum, hoc ſenſu igitur optime princeps natutaliter poteſt dici obligatus; maxime cum contractus ex communi JCtorum ore dicantur juris naturæ ſeu gentium, ſuper quod, uti ex ſuperioribus liquet, principi nulla datur poteſtas.

10. † Fundamentum enim omnis contractus nullum aliud videtur, quam mutua indigentia, per labem originalem, in omnes gentes derivata, quam ut alterius copia (nam non omnis fert omnia tellus) expleat, illa benefaciendi neceſſitas, qua erga homines quoscunque mutuo adſtricti ſumus, evidentiſſime monet Cognationem quandam inter nos natura conſtituit, *l. 3. ff. de j. & j.* Nati igitur ſunt contractus ex eo, quod benefacere alii aliis tenemur, præſertim quando id uni

uni prodeſt, & alteri non nocet; menſuram horum beneficiorum, ſi quis jam quærat, vix inventurus extra hanc ſacratiſſimam regulam: Quod tibi fieri volueris (appetitu ſcil. rationali) id alteri faciendum. Modus vero, quo contractus ex indigentia & copia proceſſerunt, ita facillime conſiderari poteſt, ſi ponamus eum, qui aliqua re indigebat, utputa pecore, habuiſſe triticum, quo alter egebat, hinc orta primitus inter eos permutatio, cujus in locum compendio exoptatiſſimo pecunia deinceps ex communi gentium more ſucceſſit. *l. 1. de contrah empt.* † jam vero quis principem a contractibus 11.
iſtis, qui ſanctiſſimo omnium gentium ſuffragio & naturæ ipſius honeſtate ſuffulciuntur, liberum & immunem æſtimabit? nemo ſane niſi qui licite a principe omnia injuriarum, fraudium & circumventionum genera erga alios exerceri poſſe impie & nefarie judicabit. † Quod autem alterum illud 12.
attinet, an princeps videl. civiliter obligari poſſit ſubditis ſuis; dicendum videtur ſi per vocem civiliter intelligetur firmitas quædam & ſoliditas cuntractus, utique conceditur principem verè & propriè obligari poſſe ſubditis, ita ut illis mediante quodam contractu det jus quicquam poſtulandi & exſpectandi. At enim ſi per civiliter intelligatur lex civilis, ex qua princeps deinde poſſit ad executionem compelli, diſtinctè reſpondendum videtur. † Aut enim princeps habet 13.
poteſtatem ſuperiori cuidam adhuc obnoxiam, qualis eſt auctoritas noſtrorum in germania principum, qui imperio adhuc Romano, ejusque ſacratiſſimis receſſibus & conſtitutionibus adhuc ſubſunt; aut princeps habet poteſtatem plane ab omni alterius ſuperioritate immunem, & in omnibus civilibus negotiis ſummam, de quo potiſſimum jam loquimur. † Priori modo dici non poteſt, principem eſſe liberum 14.
ab omnis civilis obligationis nexu; nam ſicut princeps in ſuo territorio non ſupremam habet quoad omnia majeſtatem, ita nec in civilibus perpetuo liber eſt, ſed coram judicio aulico Imperatoris vel camera ſpirenſi imperii noſtri, pro re nata conveniri poteſt, propter contractus, quos cum ſubditis aut extraneis fecit, ſiquidem juſtitiæ commutativæ locum dene-

 get:

15. get: † At poſteriori modo ſicut in civilibus ſuprema & abſoluta majeſtas nullum agnoſcit ſuperiorem a quo compelli, & vel ad obedientiam, vel ad pœnam adigi poſſit, ita tuto aſſeritur, eam civiliter non obligari; quia eſt ſumma in civilibus conſtitutionibus majeſtas, ſine egregia contradictione dici non poteſt, eam ab aliis ad quædam civiliter præſtanda cogi poſſe: neque opus eſt, ut rem per ſe ſatis claram, obſcuremus diſtinctionum difficultate, & dicamus, principem quidem in contractibus civilibus ſolutum eſſe legibus quoad vim coa-
16. ctivam, teneri tamen quoad vim directivam. † Putant quidam ſc. in principem nullam quidem vim aut compulſionem a ſubditis proficiſci, nec majeſtatem ita obligari, ut legibus a ſe ſcriptis cogi poſſit aut debeat; cæterum tamen æquiſſimum eſſe, ſua ſponte ſequi tenorem præſcripti juris; quod ab imperantis exemplo pendeat popularis multitudo: Verum ubi vis coactiva in principe non eſt, ibi nec vis directiva; & quis in republica dirigeret principem? nemo ſibi ipſi imperare poteſt: dirigi quidem princeps poteſt ab æquitate, ſeu ab illo amore, qui bono principi ad virtutes & honeſtatem perpetuo ineſſe præſumitur; ſed de illa vi directiva jam non loquimur in civilibus occupati, quæ quoque legi non ineſt ut legi ſive quia lex eſt, ſed quia præſcriptum virtutis: ſi figuras & verborum floſculos in rebus ſeriis amamus, concedi poterit, quamlibet virtutem eſſe legem, ſed ſine armis, imo legem eſſe nihil aliud quam virtutem armatam, h. eſt, certa quadam pœna ad obedientiam introducendam munitam; atque hoc modo principem virtutis ſtudioſum, legis quoque contemtorem minime eſſe poſſe; Sed quod monitum, figurate tamen principem legibus obſtringi & civiliter obligari dici poteſt: Sin autem lex proprie accipiatur, falſum hoc foret, nam quælibet vera lex in ſe habet coactionem vel ad pœnam, vel ad obedientiam, quæ in principe locum non invenit, & ubi hæc non eſt ibi vis legis non eſt, ſiquidem virtus & anima legis eſt, homines ſubjicere pœnæ & coactioni virium humana-
17. rum, & hac nota a virtutis præſcripto diſcernitur: † Quod ſi autem princeps cum extraneo contractus celebraverit, civi-

liter

liter quidem obligari eidem dici nequit:interimtamen certam exſpectabit calamitatẽ,ſi contractus temere ſervare detrectaverit,tum à Deo,qui transgreſſorem juſtitiæ,tardo licet,tamẽ gravi ſupplicio tollet;qui acerbiorem de principibus,quam reliquis quæſtionem exercere ſolet,ut ſapientiæ magiſter Salomo veriſſimè ſcripſit:cui congruit illud Aurelii Marci,qui ob ſapientiæ ſtudium Philoſophus dictus; magiſtratus quidem de privatis,principes de magiſtratibus; Deum autem,de principibus decernere ac judicare,& licet civiliter non ſint obligati,tamen non iis omnia licent, ut primus omnium ut opinor Anaxarchus exſtitit, qui Alexandro blanda oratione perſuaſit,juſtitiam ob id jovi aſſidere,ut intelligeretur nihil à principibus injuſtè fieri poſſe:Capitalis Anaxarchus,&certe dignus, qui crudeliſſimo ſupplicii genere plecteretur, ac principum juſtitiam in ſe experiretur, cum enim in poteſtatem cypri regis, cui omnium infenſiſſimus erat, incidiſſet; Rex illum incudibus ſuper poſitum, malleis contundi juſſit. At quanto verius Seneca, Cæſari cum omnia licent, inquit propter hoc minus licet. † Tum a republica læſa, quæ violationem juris 18.
gentium legitimo juſtoque bello ſæpius coercere poteſt ac ſolet. Et licet porro Grotio aliisque concedam, quod tamen vix faciendum, ejus actus poſſe conſiderari non ut regios, ſed ut cujusvis alterius privati, manebit tamen differentia intèr actus tales & ſubditi cujusdam; cum ipſe facili negotio a ſubdito tergiverſante debitum poſſit extorquere, in ſubditi autem actione non id quæritur, ut princeps cogatur ad ſolvendum debitum; ſed ut ſubditus liquido oſtendat, ac clare ei demonſtret, eum ad id exſolvendum ſeſe obligaſſe, eaque ratione ad ſatisfactionem teneri, ejus autem actus ſtatim exinde legibus ſubjici prout vult Dn. Hahnius,nego cum Grotio, qui diſerte inquit, leges civiles Regni locum non habere in principum pactis & contractibus, niſi ultro hoc principi libuerit, uti Grotius porro diſſerit, & in cap. ſupra 2. probavi ſatis; † Quod autem autumat Vaſquius principem poſ- 19.
ſe emtionem ſine prætio, locationem ſine mercede &c. celebrare, concedi non poteſt; ſiquidem emtio & locatio tan-

quam contractus ſtrictè dicti conſiderentur: nam eſſentia-
lia contractus quæ in conſenſu utriusque de re danda pro
certo prætio, & in neutrius læſione conſiſtunt, hoc modo ne-
gligerentur, & talismodi emtio fieret potius donatio: At vero
iſtiusmodi emtionem & locationem a principe inſtitui poſſe
nonnunquā partim in pœnam partim ex vi dominii eminen-
tis liquido affirmatur, modo id fiat tum exigente ſumma ne-
ceſſitate, publicaque ſalute, tum ut compenſatio fiat illi, qui
ſuum amiſit propter ſalutem communem, ex communi æra-
20. rio, ſiquidem unquam fieri poſſit: † Quando autem nonnul-
li putant contractus principum vim legum civilium habere,
ex falſa interpretatione *§. 6. Iuſt. de j. nat. gent. & civ.* turpi-
ter ſe dant, quia placita principum nimis late extendunt, & ſi
omne abſolutum placitum foret lex, hoc modo ſane Tyran-
norum quorundam ſceleratiſſima negotia, quæ ex placito il-
lorum nefario prodierunt, legis vim habuiſſent, laxosque le-
gum terminos priſci Romani habuiſſent, cum tamen mens
imperatoris hæc ſit, omne quod principi placet, ut in ſuam
reip. ſibi concreditæ ſalutem fiat, legis vim obtinet, & ſi legis
ferendæ gratia principi quicquam placuerit. Cum contractus
init, non videtur hanc habere intentionem, quomodo igitur
contractus poſſit lex dici ultra ejus mentem, & ad non cogi-
tata extendi, ſi autem velit contractum ut legem ſervari aliud
dicendum; abſolute autem rem conſiderando non naſcitur
hic jus inter principem & ſubditum per modum legum lata-
rum; ſed per modum fidei datæ in pactis & contractibus, ut
ſupra a me demonſtratum, teneturque vi juſtitiæ, dum fidem
datam legi naturali innixam non temere violabit; ſed quod
vulgo dici ſolet linguam unam, unumque calamum perpe-
tuo ſervabit; illudque non tam ex diſputationum umbratica-
rum ſubtilitate, quam ex decentia & pudore naturali: Com-
mendari propterea nunquam ſat poterit Sereniſſ. Elector. Sa-
xoniæ Mauritius, Carolo V. Imperatori contra Phil. Land-
gravii Haſſiæ liberationem ſubtiliter interpretatiunculas ne-
ctenti exprobans ego te tanquam Imperatorem non tan-
quam JCtum & legis tam, pactiones & fœdera interprærari vo-
lo, ut Clapm. in ſuis arc. refert.

Caput

Caput IV.

De reſtitutione damni ex contractu principi oborti.

POſtquam paulo ante vidimus, quemadmodum princeps ex fide in contractibus data aliis obligetur, conſequens eſt, ut paucis, quomodo damnum aliquod principi in iſto negotio illatum juſte & commode reſarciri debeat, diſpiciamus. † 1.
Sicut enim ex communi humanitatis privilegio omnes facile in errorem labimur, & ab aliis ut ſubdole circumveniamur, indies extimeſcimus; nemini enim tam perſpicaci hactenus licuit eſſe, ut ab omni errore & aſtu alterius immunem ſe quotidie ſentiat: ita & principem facile hæc calamitas premit, ut æque ac privatus, vel lubrico ætatis, vel aliorum nequitia & fraudulentia, vel metu alioque affectu vehementiori corruptus, ad contrahendum promittendumve poſſit induci, in quod nunquam couſenſurus fuiſſet, ſi ab judicii teneritate, aliorumve fraudibus liber fuiſſet. † Atque vero ſi anima contractuum quorumlibet conſenſus eſſe videatur, utpote ſine quo nulla conventio inter homines inſtituitur, in proclivi eſt aſſerere, quod deficiente conſenſu, tanquam conditione ſine qua non, deficiat quoque omnis contractus; adeoque parti læſæ reſtituendum ſit, quod inique propter defectum conſenſus plenarii eidem ablatum eſt. † Inter actiones enim morales hominis maxime cum dominetur contractus, neceſſe etiam eſt, proæreſin tanquam palmàrium actionum humanarum principium huic adeſſe, hominemque ſcienter juxta ac volenter cum altero in negotiis civilibus congredi, ut ne tum ſibi tum aliis ullum aliquod detrimentum accerſat. Jam vero in tenera adhuc & imbecilli ætate, ubi non dum ex ephebis exceſſit inconſtans & minus compoſita hominis indoles, quomodo ſpontanee aliquid velle, hoc eſt, providè & circumſpecte omnes circumſtantias rerum perſpicere, & aliorum dolos ſæpe artificioſius quæſitos & compoſitos præcavere poterit

terit

poterit adoleſcens? levi igitur negotio in errorem inducimur homines, ad errorem alias ex præpoſtero naturæ impetu nimium proni.
5. † Niſi jam æquitas naturalis, & conſtitutio civilis huic rei remedium inveniſſent, & annos minorennitatis, præcipue ſingulari quadam prærogativa muniiſſent, ita ut contractus cum damno minorennis factus poſſit fieri irritus, læſaque pars in integrum reſtitui quævis: proh! quam infinita & monſtroſa fallaciarum genera in communi gentium ſocietate deprehenderemus, illis igitur beneficiis quæ ſubditi quilibet indiſcretim in contractibus uſurpant, cur princeps non utatur? ejusdem eſt ſane conditionis princeps cum cæteris, quia ejusdem ætatis judiciique homo: iniquum ſane foret, illa principi denegare juris remedia, quæ a nullo homine, ſed ab ipſa æqnitate naturali omnibus conceduntur; ſi propter minorennitatem, dolum, metum, aliosve affectus difficiliores in contractibus læſi fuerint.
6. † Quanquam hic apprimè monendum eſſe ducam, abſtinendum eſſe moraliſtis ab hac loquendi formula, qua principem reſtitutionem impetrare, vel reſtitui poſſe in integrum, aſſerunt; ſiquidem in ſtricto & proprio ſenſu reſtitutionem intelligere velint; A quonam enim princeps reſtitutionem impetrabit? aut a ſuperiori, quem tamen ipſe majeſtate ſumma plenus non agnoſcit, aut ab æquali, qui itidem in republica non datur, aut denique ab inferiori quod abſurdum, quia inferiores reſtituere non poſſunt illum, qui ipſis eſt ſuperior in omni poteſtate: potius hunc procedendi modum legitimum eſſe agnoſco, quando ſcilicet princeps propria authoritate contractum iſtum fraudulentum pronunciat irritum, ſeſeque reſtituat in iutegrum ex eo, quod videat ipſum contractum ex ipſo jure, & natura ſua vitioſa non ſatis validam eſſe ad obligationem, adeoque nullitatem ſuam ſibi tanquam læſæ parti reſtitutionem ſubminiſtrare. Sicuti enim, quod ajunt, in naturali libertate viventes homines, ſicuti in contractu quodam manifeſte læſi fuerint, ſuarum rerum ipſi ſunt arbitri, ſeſeque ex naturali facultate reſtituere resque ſuas per injuriam, dolumve aliorum ablatas, propria virtute perſequi, ſibi iterum vindicare

care poſſunt, ita princeps quoque utpote naturali libertate perpetuo gaudens, & a nemine ſuperiori dependens, ſicubi ab alio læſus fuerit, ſponte ſua declarare poteſt, ſe non ex vitioſo & fraudulento contractu (quippe qui ex natura ſua, omnem vim & facultatem amittat) ad obligationem & fidei olim datæ executionem teneri.† Longe autem alia res eſt cum 7.
contractibus, quos princeps non cum ſubditis ſuis, ſed cum extraneis fecit; in iis enim, ſi dolo, metu & errore ſubſtantiali correptus fuerit, eum ſive minorennis ſive majorennis reſtitutionis exceptionem obtendere & poſſe & debere exiſtimo. † De errore fundamentali quo concipitur eam eſſe rei 8.
ſubſtantiam, quæ tamen ejus non eſt, aut eam non eſſe rei ſubſtantiam, quæ tamen ejus eſt, patet, illo reddi contractum ipſo jure nullum: nam non tantum invitus eſt ab altera parte propter ignorantiam invincibilem, quæ ſupponitur, ſed etiã contractus iſte objecto intento deſtituitur, unde fruſtraneus plane & irritus eſt ex eo, quod contrahens in aliam longe rem conſenſerit, quam, quæ ipſi poſtmodum errore agnito exhibetur.† Idem de contractibus ex dolo, vi, metuve perfectis, 9.
exiſtimandum eſt; quia in vi & metu libertas hominis labefactatur, adeoque voluntas non pleno arbitrio, prout quidem par erat, aſſentitur. Quanquam ſi contractus iſti vi & metu extorti juramento firmati ſunt, ſobrius & prudentius ſentiendum videatur; de re quidem turpi & inhoneſta factus contractus, juramento licet ſuffultus, omni vi obligandi deſtituitur, confitente hoc univerſo moraliſtarum ſenatu; at vero ſi contractus fuerit de re indifferente, vel malo triſti, v.g. ſi princeps latroni certam pecuniæ ſummam promiſerit ſub fide ſilentii, & conſcientiam non omnino certam ſed probabilem ſaltim habuerit, tutius quidem facit ſi ſilentium ſervaverit, argentumque latroni exhibuerit, probabilius tamen facit, ſi juramentum vi extortum negligat, acque cum ſubditorum aliorumve viatorum detrimento alimenta ſceleſtiſſimis hominibus præbeat. † Quod autem ſpectat contractum ex do- 10.
lo profectum, ubi ſupponitur aliquod factum, vel aliqua conditio, quibus non ſuppoſitis nunquam contractum initurus

turus fuiſſet princeps, dico vim obligandi eum non habere, quia non eſt actus moralis ex prædeliberata contrahentium voluntate natus. Et licet ejusmodi contractus jurejurando affectus fuerit, eum tamen cui per dolum extortum eſt juramentum per ſe contractus non obligat, quia ejus conſcientia non ſatis informata eſt circa negotium illud, cujus gratia alter dolum & fraudem machinatur. Neque vero diverſum ſentientes juvat exemplum Iſraelitarum, qui quamvis decepti, fidem juraſſent Gibeonitis, viderunt tamen ſe obſtringi, atque ob id tenerrime fidem juratam cuſtodierunt nam non tam recta ratio, quam vana potius opinio Iſraelitas cuſtodiebat, juramentum per dolum elicitum ſanctiſſime tenendum eſſe. Quamvis vero Deus ter opt. max. peſtem immitteret illis, cum Saul Gibeonitis poſtmodum contra fidem datam calamitatem inferret, diſtinguendum tamen duco ita, ſi juramentum antequam a ſenioribus confirmatum eſſet, Deus per immiſſam cladem vindicaſſet, utique adverſarii aliquid obtinerent; at vero cum contractus iſte jurejurando coufirmatus, demum in familia Saulis impiiſſimi (poſtquam illud ex poſt facto cum a ſenioribus, tum ab univerſo populo approbatum fuerat, & nihilo tamen minus a Saul. violabatur) puniretur, aliud eſſe puto contractum dolo elicitum in ſe a ſenioribus factum, qui frangi impune potuit, ob defectum eſſentialium requiſitorum, aliud contractum longo temporis tractu ab univerſo populo approbatum, quem a Saule violatum, legitime puniri, propter multas alias circumſtantias ſubſequentes a juſtiſſima Dei ira potuiſſe lubens fateor. †

11. Hiſce autem dimiſſis accedo ad iſtam controverſiam, quid ſentiendum ſit de iſto contractu, ubi princeps læſus ex minorennitate damnum ſentit, & reſtitutione indiget? mihi quidem cum Dno Zieglero *ad cap. 14. §. 1. lib. 2. Grotii* diſtinguendum videtur, inter principem ſine tutoribus, aut cum iisdem ſimul ſuadentibus contrahentem; ſi tutores quidem habuerit, queis concredita eſt regni adminiſtratio, ſine horũ conſenſu & authoritate nullum negotium valide celebrabit, & ſi aliquid eorum arbitrio ſuffultus egerit, obtentu læſionis

ex minorennitate natæ, non adeo facile reſtitutionem ſibi conciliabit, alias enim nemo facile cum principe minorenne contraheret; erit ei potius ſalva actio contra tutores, qui adminiſtrationis ſuæ rationem reddere compellantur; ſin autem ei ſint tutores, & tamen ſine horum authoritate contraxerit, vel ſi nulli adſint, & ſi tum ex contractu inito læſus fuerit, poterit in integrum reſtitutionem impetrare, etiam contra extraneum ſubditum, ab ejus vel magiſtratu vel principe; † Heinr. Henniges *in obſerv.* Grot. *L.2. c. 14.* qui auſu paululum 12.
ambitioſiori dictaturam ſibi in viros eruditi orbis illuſtres, quorum gloriam & obfuſcare, & ſuggillare nefas eſt, audaciſſime ſumit, ut ſplendidiſſima hujus ſeculi lumina, viros convitioſos ſtultos & infantes, tam implicitè quam explicite nominare non erubuerit (nam libere inquirendum in aliorũ ſententias, veritatis eruendæ ſtudio, ſed candide & modeſte, ut bonũ virum decet, ſine exiſtimationis aliorum læſione, & profecto boni hoc unice omnes deſiderant, & præſtant;) imprimis autem celeberrimo Domino Zieglero data opera ubique ferme contradicit, neq; in hoc negotio ab iniqua cenſura ſua ſilentium impetrare potuit, ſed contra ſententiam, ubique quod noverim receptam, negat principem ex capite minorennitatis reſtitui poſſe. † Primo enim aſſerit *p. 668.* extrane- 13.
um principi reſtitutionem ex capite minorennitatis poſtulanti merito reſponſurum; *quid ad me tua leges? per me tibi liceat ſubditis tuis quaslibet præſcribere leges, ego vero fidem tuam habeo: quam ſervare tamdiu decet, donec veram mihi læſionem objeceris:* ſed aërem hic verberat Dn. Henniges; ecquis enim princeps ſui tam immemor erit, ut ab extraneo reſtitutionem ex ſolis legibus ſuis civilibus, extraneum nullo modo obligantibus poſtulare audeat. Facile enim novit, extra territorium jus dicenti impune non pareri. Unde hactenus nemo negat id, quod Henniges operoſe probare intendit. Deinceps quod putat Henniges extraneum petiturum a principe, ut veram læſionem ſibi factam eſſe probet, etiam fruſtra eſt; quia nemo principum reſtitutionem unquam poſceret, niſi ſe veram quandam læſionem oſtendere poſſe præſciverit,

14. alias enim nullum ei jus quærendi eſſet; † explicatius deinceps
p. 671. ſuam ſententiã proponit Henniges, & miſere reſpondet
Dno Zieglero, qui reſtitutionem in integrum per exceptio-
nem minorennitatis principibus competere aſſeruit. Dixerat
Dn. Zieglerus, *non videri hanc reſtitutionem venire ex ſolo jure
civili; ipſam enim naturalem æquitatem poſtulare, ut fraude ac do-
lo circumventus, in negotiis ubi bona fide agendum eſt reſtituatur in
integrum.* Ad quæ verba ita excipit Henniges: *ſed hæc nimis ge-
neralia ſunt nec quadrant ſcopo noſtro, non enim loquimur indiffe-
renter de quacunque reſtitutione, præcipue ubi fraus aut dolus aper-
te intervenit. Sed quando non tam intuitu doli, quam minorenni-
tatis quis reſtitui cupit. Etſi enim in hac reſtitutionis ſpecie interdum
fraus intervenire poteſt, ſola tamen læſio, quæ incidenter ſaltem & ex
15. reipſa contigit, hoc beneficium impetrat.* † Verum enim vero cur
laudatus Zieglerus nimis generalia loquitur, cum ſpecialiora
ipſe Grotius non attingat, ad quem commentatur? cur ſco-
po non quadrant? cum tamen Grotii hic ſcopus ſit, quod cui-
vis inſpicienti patet? dicis quidem: non loquimur de quavis
reſtitutione, ſed de illa, quæ ex minorennitate venit. Nonne
vero Dnus Ziegl. pariter de ea loquitur, dum poſtmodum
non ex ſolo jure civili, ſed ex naturali æquitate eam venire
affirmat? præ nimio inſultandi fervore Henniges id videre
16. non potuit, quod omnes vel lævo vident oculo † *putas quidem
in capite minorennitatis non tam dolum, quam læſionem, quæ inciden-
ter ſaltem & ex reipſa contingit, principaliter conſiderari.* Sed cur
non dolus ipſe ſcil. malus, de quo ſermo eſt, attenditur, cum
tamen dolus in ſe & ſua natura læſionem alterius contineat?
cur doloſus dolos nectit, niſi ut læſionem alteri inferat, quam
ſi non intenderet, non dolo ſed honeſtis mediis uteretur? ſi
itaque læſionem a dolo malo tollis, chymeram fingis, cere-
bri febricitantis fœtum: pari modo uti de minorenni fabularis,
argumentari poſſem de majorenni, quod ſcil. in reſtitutione
iſtius, cum ab alio per dolum circumventus eſt, non tam do-
lus reſpiciatur, quam læſio; uterque enim læſus eſt, ſed mino-
rennis dolum non tam facile præcavere potuit, ob judicium
17. adhuc imbecille, quam majorennis. † Pergit ibidem Henni-
ges

ges & *hanc reſtitutionem*, inquit, *minorennis ex jure civili eſſe, quis negare poteſt, cum ſuam formalitatẽ & totum eſſe ex illo jure habeat. Eſt autem hujus reſtitutionis formale læſio ex minorennitate proveniens minorennitatem autem ab ætate pupillari, nulla alia lex quam civilis diſtinxit, & utriq; aſſignavit certos terminos de quibus alias altum fuiſſet ſilentium.* At bone vir, quomodo reſtitutio ſuam formalitatem ex ſolo jure civili haberet, cum in minorennitate non tantum certus & determinatus annorum numerus, ſed etiam fragile ætatis junioris judicium contineatur? miſere erras, dum judicas, aut Dn. Zieglerum, aut alios, dum de reſtitutione in contractibus principum læſorum loquuntur, per minorennitatem intelligere tempus præciſe viginti quinque annorum, id quod utique tantum ab arbitrio legislatoris civilis pendere nemo negaverit; ſed in minòrennitate reſpicitur potiſſimum tenerum judicium illius, qui propter ætatem ſibi ſuisque proſpicere nequeat.† Diſtingue itaque inter minorenni- 18.
tatem in ſe conſideratam, & ſecundum quid ſeu cum addito, Minorennitas in ſe formaliter importat eam ætatem, ubi quis improportionatus eſt ad actiones civiles, adeoque ſi ab altero nequiter per dolum læſus fuerit, reſtitutione indiget; qua minorennitate princeps æque ac alii cives gaudet. † at mino- 19.
rennitas ſecundũ quid aut cum addito conſiderata importat certam ac definitam temporis menſuram, quæ ab arbitrio legis latoris pendet, quousque ſcilicet illam in civitate ſua vel extendere vel reſtringere velit, modo naturali æquitati non aperte vis inferatur. † Quæſo te Dne Henniges, cur tam ri- 20.
gidus & oculatus es in aliorum erroribus & tui ipſius oblivisceris? Dixti jam, τὸ formale, atque totum eſſe hujus reſtitutionis ex jure civili pendere; ſupra autem *ad l. 2. Grot. cap. 11. pag. 564. ex DD. dixiſti, eſſentialia alicujus contractus eſſe, quæ cujuslibet pacti eſſentiam concernunt, & quibus deficientibus contractus nullus eſt;* inter quæ eſſentialia refers paulo poſt conſenſum, & abſentiam doli; jam vero quomodo reſtitutio minorennitatis poteſt totum eſſe ſuum habere a jure tantum civili, cum tamen minorennitas non conſenſum tantum, quia deficit judicium ad conſenſum neceſſarium, tanquam eſſentiale re-

 quiſitum

quiſitum contractus dare nequeat, ſed & dolo aliorum ſubje-
21. cta ſit? † ſed facile ex iis quæ *in ſeqq. pag. 672. & 673.* adjungit iſte author, perſpicere eſt, non rite eum ſecernere leges civiles a naturalibus. Concedit enim, quod minorennitas fundamentum habeat in æquitate naturali, ſed negat omne id ad naturæ jus pertinere, quod fundamentum habeat in æquitate naturali: ſed iterum aërem verberat. Neque enim hoc quisquam dixit; ſed accurate addidit Dnus Zieglerus in verbis ſupra allatis, reſtitutionem non venire ex ſolo jure naturæ. Cui dum contradicit Henniges probare debuerat ex ſolo jure civili eam dependere, quod audacter ſatis affirmat, ſed inauſpicato probat. Quid enim hæc verba: *reſtitutio minorennitatis totum eſſe & formalitatem ex jure civili habet.* Sane ſi iſta reſtitutio totam formalitatem haberet ex jure civili, ſequeretur eam eſſe prorſus indifferentem, atque a magiſtratu libere præcipi aut negligi poſſe; quod tamen abſurdiſſimum; quia ſic infinita damna in ætatem infantiæ & adoleſcentiæ innocentisſimam inveherentnr. Conſequentiam autem facile probo: quia ex communi politicorum ſententia illæ tantum dicuntur civiles conſtitutiones, quæ de rebus plane indifferentibus ex bene placito ſuperiorum feruntur, quæ vim tamdiu ha-
22. bent obligandi, quamdiu ſuperioribus lubet. † Nam in hoc civiles leges differunt a naturalibus & divinis, atque tales civiles leges ſunt geſtatio pilei, quæ olim apud Romanos inſigne erat libertatis, & ſervis prohibita, item cum Simei dictaret rex Salomon ne tranſiret flumen, ita apud Thebanos lege cautum erat, ne quis ad ſummos magiſtratus ſuſcipiendos admitteretur, niſi a mercatura decem per annos abſtinuiſſet *Ariſt. 3. pol. 5.* Quod ſi jam dictus Henniges reſtitutionem ex minorennitatis capite ad haſce leges arbitrarias revocaverit, non tantũ ſibi ipſi contradicet, ſed etiam omni veritati & ſanæ rationi. Diſcat itaq; aliam eſſe legem civilem tantum ineſſe & formalitate ſua talem, quales ſunt jam dictæ; aliam eſſe legem civilem, quæ ſimul fundamentum habet in naturali æquitate omnibus perſpicua, qualis eſt reſtituo ex minorennitate. Ut igitur concludamus, dico, fruſtra obſtrepente Hennig. reſtitutionem prin-
cipis

cipis minorennis non tam complecti certam & definitam annorum periodum, quam læſionem teneri adhuc judicii, adeoque ex juris naturalis decore evidens eſſe, minorennitatem ubique in iſtis contractibus obſervandam, ut ne temere alicui nocumentum inferatur.

Caput V.

Quatenus ſucceſſor ex anteceſſoris ſui contractibus obligatus ſit.

QVousq; princeps vivus & actu imperans obligetur in ſuis contractibus, diffuſe hactenus vidimus. Sequitur paucis ut diſquiramus, quomodo ſucceſſor deceſſoris ſui pactis conventis vel ad præſtanda vel ad non præſtanda tum ſuis ſubditis, tum aliis obſtringatur, ut nec ſuæ utilitati nec aliorũ commodis obſit. † impeditior quidem hæc tractatio eſt, quam ut paucis, iisque ſat perſpicuis dogmatibus facile proponi poſſit; brevitati tamen dum jam ſtudeo, ſermo mihi non erit de principe ſubjectionis vel vaſallagii jure prædito, qui dum ratione bonorum ſuperiori obligatur, ſine ejus conſenſu nec totam regionem nec partem ejus invito domino feudum conferente alienare poteſt, prout hæc omnia in jure feudali & ſpecialibus ſæpe conventis ex more & conſuetudine recepta vel ampliari vel reſtringi ſolent; ſed de hoc jure feudali jam mihi diſceptatio nulla erit, præcipue cum ſupra ſermo meus ad principem independentem fuerit directus. † Ubi tamen in ipſo limine animadvertendum duco, quod ſucceſſor multivariam conſiderari poſſit, utrum Regno potitus ſit ex jure ſucceſſionis vel electionis. † Si ex jure ſucceſſionis ſceptrum ſit adeptus, generaliter verum eſt, obligari eum ex factis & promiſſis defuncti ad præſtanda vel non præſtanda ea, quæ deceſſor ſemel conſtituit; quod enim de herede in communi gentium & naturæ jure obſervatur, ut non oneris minus, quam beneficii particeps fiat, & ſeu tacito ſeu expreſſo conſenſu hereditatem hac lege adeat, ut in omnibus defuncti vo-

1.
2.
4.

luntatem explere, aliiſque, uti convenit, ſatisfacere velit; conſequens eſt ſucceſſorem in imperio pari ratione teneri tam ad incommoda, debita & onera quælibet ferenda, quam ad beneficia reip. uſurpanda: juris enim ſucceſſor eſt, qui non tantum commoda, ſed univerſum jus hæreditarium accipit, quod & commoda & incommoda continet;
5. † imprimis autem creditores, ſive extranei, ſive ſubditi fuerint, vehementiſſime læderentur, ſi contractus ſuos cum principis morte ſimul commori ſentirent; nemoque facile principi tempore neceſſitaris ſuccurreret ad ſummam reipublicæ, cui præeſt, utilitatem, ſi perpetuo hoc ſibi extimeſcendum fore conjiceret; contractus cum principe initos non æque ad ſucceſſorem tranſire, eumque ad exſolvenda debita obligare, quam ſi cum plebejo homine iſtiusmodi contractus pangerentur. Fides igitur data, quæ ſummum principis decus eſt, ſicut nemini detrimentum inferre intendit; ita & in contractibus ſucceſſorem ſtrictiſſime obligat; Quod ſi princeps immunis eſſe velit ab iſtiusmodi obligationibus, debuiſſet regnum hæreditarium potius deſerere, quam cum læſione innocentiſſimorum hominum illud adire. Atque hæc omnia proceduut, ſive princeps ex linea deſcendenti ſive ex collaterali & proxima conſanguinitate, ad imperium pervenerit, honeſtatis enim & fidei datæ ratio æque ubique obligat, neque quemquam ex contractibus cum defuncto ſancitis lædi poſſe permittit.
6. † Cautela autem hic opus eſſe videtur, ut ne quiſquam hoc nimis generaliter de omnibus defuncti bonis dictum eſſe arbitretur: alia enim ſunt bona principis, quæ allodialia vocantur, neque cum republ. neceſſario cohærent, ſed ad familiam principis privatam ſpectant, alia autem ſunt, quæ reip. in ſolidum debentur. Si contractus circa priora fuerit factus, ſucceſſor non obligatur, niſi utraque bona tum allodialia, tum quæ reip. debentur, in hæreditatem accepit: Si enim ſolam Regiam dignitatem nactus fuerit, aliis in bona allodialia ſuccedentibus contractum circa iſta factum aliis quoque ſervandum committit.
7. † Pono enim caſum. Quod ſi alius quiſquam princeps in imperio noſtro ſuc-

ſuccederet deceſſori cuidam auguſtiſſimæ domus Auſtriacæ, non teneretur de illis contractibus, quos defunctus in gratiã & incrementum domus iſtius, aut aliarum provinciarum hæreditariarum feciſſet, niſi ſimul partem quandam ex hiſce poſſit uſurpare unde poſtmodum quoque ex parte & quota certa teneretur. Sed in hiſce variant caſus & obſervationes in quibusdam principatibus magnopere; † nonnunquam enim 8.
primogenitus, dum ſuccedit in Regnum, omnia quoque debita in ſe recipit, & tum fratribus, tum ſororibus reliquis definitam portionem, ex qua conditioni ſuæ convenienter vivere poſſint, ſine ullo onere committit. † Nonnunquam æ- 9.
qualis eſt inter omnes provinciarum diſtributio, & tunc quilibet tenetur pro virili. † Cæterum vero ſæpius uſu 10.
venit, contractus quosdam ſucceſſorum vel ex caſu, vel ex intentione poſtmodum tranſire in extremam reip. perniciem, & quid tunc de obligatione ſucceſſoris ſentiendum ſit, haud facilè eſt definire. † Quod ſi præter intentionem de- 11.
functi principis ex caſu quodam contractus quisquam communi ſubditorum ſaluti contradicere videtur, certum eſt ſucceſſorem non obligari. Ratio eſt, quia defunctus ſi hoc in commodum olim ſecuturum prævidere potuiſſet, nunquam adverſus communem ſalutem contraxiſſe præſumendus eſt. † V. C. ex certis quibusdam provinciis Imperato- 12.
res olim fecerunt epiſcopatus, eosque tum privilegiis, tum juribus fœcundiſſimis munierunt, ſed cum Epiſcopatus iſti ad ſucceſſu temporis aut fallerent intentionẽ fundatotis, aut ad majorem reipublicæ ſalutem, iterum ſeculariſationem recipere poſſent, nullo modo ſucceſſores tenebuntur ad ſervanda iſta privilegia & jura, quæ a deceſſoribus ex certis cauſis conſtituta fuerant. At vero ſi aperte cum intentione & proæreſi defunctus contra communem reip. ſalutem contraxiſſe comperitur, ex nullo jure ſucceſſ. obligatur, ad inhoneſta enim nulla nos vis conſtringit. Licet enim alter in Regnum ſuccedat, non tamen in regni deſtructionem & perniciem: potiori jure ſucceſſor ea ſtudioſiſſime emendabit, quæ defunctus aut neglexerit, aut corrumpere ſeriò intendit.

† At

13. † At vero ſi princeps non jure ſucceſſionis, ſed electionis im-
perium arripuerit, a defuncto obligari non poteſt, quippe a
quo nihil accepit, a populo tamen, cui debet principatus ad-
miniſtrationem, obligatur ad ſolvenda omnia debita, quæ in
reip. utilitatem contracta ſunt; ſicut enim defunctus prin-
ceps, vel cum tacito vel cum expreſſo ſubditorum conſenſu,
vel ſponte ex plena libertate, vel ex neceſſitate quadam coa-
ctus debita quædam fecit, ut ne reſpublica ſibi concredita de-
trimentum pateretur: ita & ſucceſſor tenetur illa propter
remp. exſolvere, ut ne creditor alios ſuo cum damno locu-
14. pletatos eſſe conqueratur. † Quod ſi populus excipere ali-
quando velit, contractus a principe defuncto factos ceſſiſſe
in uſum potius privatum, quam publicum, adeoque ſe non
teneri ex ærario publico, vel contributionibus menſtruis de-
bita iſta exſolvere, ſucceſſor princeps populo maxime rudio-
ri vix adſtrictus eſt talem poteſtatem judicandi de contracti-
bus principum concedere, niſi expreſſe populus partes ſuas in
principio ſtipulatus fuerit. Præſumitur enim ſemper princi-
pem tanquam bonum virum omnia, quæ facit, in emolumen-
tum reipublicæ totius facere, & populum ſiniſtre & petulan-
ter de ſuperiorum actionibus propter nimiam Philautiam &
15. ſapientiæ defectum judicare. † Interim tamen certum eſt,
principem in principio ſuæ adminiſtrationis per certam & li-
mitatam conventionem poſſe poteſtatem libere contrahen-
di a ſe abdicare, & rotunde polliceri, quod neutiquam invi-
to populo velit adverſus reip. univerſæ ſalutem debita con-
trahere, aut in iſto caſu ſubditos adſolvendum non obliga-
16. re. † Quo in ſenſu iniquiſſime iterum Dnus Henniges *obſ.
in Grot. l. 2. cap. 14. pag. 407.* celeberrimo Dno Tabori contra-
dicit, quod in tractatu de obligatione ſucceſſorum in offi-
cio propoſuerit *diſtinctionem in contractus celebratos in utilita-
tem reip. & utilitatem ipſius principis communi quidem ſcriptorum
calculo, imo ipſius Grotii judicio probatam, non vero politica ſapien-
tia:* nam inquit, *non licet populo judicare de actibus & promiſſis
principis ſui in publicam an privatam utilitatem vergant ſed de-
cet eum potius obſequioſa promtitudine voluntatem imperantis exe-
qui.*

qui tota Regis perſona publica eſt, quare quicquid negotii imprimis
cum extraneo geſſit, bono publico feciſſe credi debet. † At vero 17.
Dne Henniges, cur demum novaturiendi prurituvexaris, ut
eam diſtinctionem, quam ipſe fateris communi ſcriptorum
calculo, imo ipſius Grotii judicio probatam eſſe, tam ſtrenue
rejicias ubique ſoli ſapere videaris? Ratio tua ſubjecta de in-
capacitate populi ad judicandum de actibus principis ſui, &
ejus præſumta æquitate, a Dno Tabore nec negatur, nec affir-
matur, ſed ſine ullo dubio ab eodem reſtringitur, ſi princeps
ſcilicet in principio ſui regiminis populo hanc judicandi po-
teſtatem permiſerit. Quod ſi hoc, ut inquis, *non politicam præ
ſe fert ſapientiam*, cur tu ipſe immemor tui hanc limitationem
paulo ante *pag. 699.* dum inquis *linea 7. niſi quædam vel in prin-
cipio regiminis, etiam poſtea mutua conventione exceperint ſubditi in
quibus populus ſuas quoque (judicandi ſcil. de actibus principum)
partes ſtipulatus ſit, & pag. 708. lin. 6. niſi expreſſe populus partes
ſuas fuerit ſtipulatus*, tam ſtudioſe inculcas, & defectum iſtius
ſapientiæ politicæ tibi ineſſe dilucide conteſtaris, quem in
Dno Tabore reprehendis neque majori cum robore & firmi-
tudine idem Henniges ibidem *p. 707. & 7.* laudatum Dnum
Taborem exagitat, dum poſt egregia convitia, quæ in ipſum
evomuit, miſere illius ſententiam removere fatagit. Dum
enim primo Taborem *vocat hominem non tam hebetis, quam
convitioſi ingenii*, quod ſæpius ſit hallucinatus in materia de
obligatione ſucceſſorum, ultro oſtendit animum ſuum con-
vitioſiſſimum. Neque enim erat, ad argumentorum imbe-
cillitatem demonſtrandam, perſonæ vitia, quæ putat, recen-
ſere. † Sed ad rem ipſam. Exprobrat ibidem Dno Tabori, 18.
quod minus accurate diſtinxerit *inter principatus independentes,
& dependentes, quia ex accuratiore prudentia politicorum, quicquid
regale eſt, ſit independens, & regalis dignitas ſit, quod tum regibus in-
ſeparabile accidens, quod majeſtas ſibi ſoli vendicat.* Ex iis vult evin-
cere, Dnum Taborem minus accurate poſuiſſe dignitatem
quandam regalem eſſe dependentem. Sed præter rem ſuper-
ſtitioſe ſubtilis eſt heic loci Henniges. Nam perpetuo rega-
lem dignitatem eſſe independentem, unde probabit? Non-

ne regalem dignitatem habet Rex Poloniæ, ſed a tot tantiſ-
que limitibus & capitulationibus reſtrictam ſeu dependen-
tem? Quid familiarius eſt voce iſta tritiſſima Vice Roy, eſtne
hæc regalis dignitas independens? luſus eſt tantum in voce
Regalis dignitatis, quæ a Dno Tabore poteſt intelligi vel in-
dependens h. e. abſoluta, vel dependens h.e. limitata. Unde
non video, qua vi cogere velit Henniges Taborem, ut rega-
lem dignitatem in ſtricto tantum ſignificatu ſemper accipi-
at, pro ea dignitate, quæ ſummam & illimitatam majeſtatem
19. ſemper annexam habet. † Sed aliud clamat Henniges ibi-
dem majorem caſtigationem mereri, quod ſcil. exiſtimet Ta-
bor, Vaſallagium neceſſario etiam importare dependentiam.
Regem enim Vaſallum, inquit, *eſſe independentem; quia feu-
dum non perſonam ſed res, dependentia autem perſonam pri-
mario, res autem ſecundario & per conſequentiam afficiat:
Concludit ergo, licebit alium eſſe vaſallum ratione rerum, & in-
dependentem ratione ſuæ perſonæ.* Sed Dnus Tabor non affir-
mat hic diſerte, quo ſenſu dependentiam Vaſalli intelligat, an
ratione rerum, an ratione perſonæ, adeoque fruſtra ipſi Hen-
niges contradicit; novit enim facile Dnus Tabor, Regem Hi-
ſpan. ratione Neapolitani Regni dependere a Papa Romano;
quamvis ipſe ratione ſuæ perſonæ in Regno Hiſpanico ab
ipſo non dependeat. Deinde licet dixiſſet Dnus Tabor Va-
ſallum quendam dependere ratione ſuæ perſonæ ab alio, po-
tuiſſet illud non ſimpliciter intelligere de perſona, ſed de per-
ſona tali atque tali, h.e. de perſona, quæ certas res & certa bo-
na, quæ illi perſonæ adhærent, ab altero habet, unde autem
quæſo iſtæ abſtractiones Metaphyſicæ, quibus perſonam va-
ſalli a rebus vaſalli diſtinguit Henniges! perſona enim va-
ſalli ideo talis eſt, quia habet res ab alio in feudum acceptas.
Sed *Nolo* hæc uberius excutere, quia ex ſuperioribus, quan-
tum autumo, ſatis conſtabit quomodo princeps ſive depen-
dens, ſive independens ſit, ſive vaſallus ſive minus talis, ob-
20. ligetur ad prædeceſſoris ſui contractus. † Unicum tantum
addo, ſcil. quid ſentiendum de privilegiis a defunctis con-
ceſſis, an & illa ſucceſſorem obligent? Hanc materiam cum
pro-

propter diverſitatem privilegiorum & modorum conferendi, nimis ampla & diffuſa ſit, paucis ut abſolvam, diſtinguendum puto inter privilegia in æternum vel ad certum tempus data, item inter privilegia vel abſolute, vel ob certum finem conceſſa, inter privilegia ex communi reip. ærario, vel ex bonis principis allodialibus facta. Circa hæc unicum iſtud probè notandum eſſe arbitror, principem ſcil. non temere cuilibet certa privilegia concedere debere, ſi cum aliorum concivium onere ſint conjuncta, neque tamen facile ea revocari poſſe, ſi ipſe cui data ſunt, iis bene ad intentionem dantis & reip. ſalutem uti perpetuo pergat. Sed ſicuti in univerſa politica nullum eſt ſalubrius præceptum, quam iſtud: ſalus reip. ſuprema lex eſto! ita & in donationibus principum hoc imprimis ut attendatur, æquum eſt. Dari itaque, reſtringi, ampliari, confirmari, atque annullari privilegia poſſe cæteris paribus affirmo, ſed ubique cavendum, ut ne authoritas principis & ſubditorum ſalus jacturam quandam experiatur. † Hæc itaque fuerunt, quæ calamo minus exaſciato 21.
De Contractibus Principum in genere proponere volui, quibus ſi benevola lectoris humanitas acquieſcere velit, etiam atque etiam mihi gratulabor, & ut contractus in ſpecie olim, propitio Deo, adjungam, alacriori impetu conabor. Tibi interim, DEUS ter optime, terque maxime, ſit laus & gloria in omnem æternitatem! Amen.

SUFFICIT.

Dividere Imperii terras cum Cæſare Gallus
Audet, cum Batavis & maris imperium.
Dic quid jura queant? Jus Principis omne per arma
Mars regit, & juſtum ſub ditione tenet.
INSTRUXISSE bonum pacis quod debuit Inſtrumentum Weſtphalicum, bella miniſtrat idem.

Usque

Usque adeo jus eſt, quod quisque potentior audet,
Cætera ſunt fatuæ ſomnium inane dicea.

Ex ſenſu ſeculi, non ſuo, officium Dn. Candidato facturus, ſcripſit

STRAUCHIUS.

M*Acte tua virtute! Tibi dum principis actus*
Sunt curæ, curæ & principi, opinor, eris.
Principibus placuiſſe viris haud ultima laus eſt:
Laus tua Principibus ſi placet, albus eris.

Ita de ſtudiis Nobiliſſ. Dni Candidati ominatur

JOH. SCHILTER, Jctus,
Aulæ Saxo-Jenenſis Conſil.

P*Rincipis acta* doces, tacite & cum *principe pacta*
Contrahis, ut Tua mens *principibus* placeat.
Aſtra petunt aquilæ, Tua mens ſublimia quærit:
Ut Te *principum* amor quærat, *amice*, precor.

In teſſeram infucatæ amicitiæ, quam Nobiliſſimo Dno Doctorando, Commenſali ſuo honoratiſſimo, propter exquiſitam Eruditionem debet, hæc adjicere voluit

HEINRICUS Linck / D.

I*Gnea mens lucem, ſed noctem noctua quærit,*
Et princeps animus principis acta *colit.*
Non hederæ vino, Tibi non encomia deſunt:
Judice me, quondam principis acta *geres.*

hæc Amico Amicus f.

HENRICUS à WERSABE,
Eques Friſius Orient.

ROMA
VITTORIO EMAN